

2.

DISSERTATIO ACADEMICA

DE

NECESSITATE

LEGUM SUMTUARIARUM,

QUAM

ANNVENT, AMPL, FAC, PHIL, REG, ACAD, ABOENS,
PUBLICO EXAMINI SUBJICIUNT

LAURENTIUS WADELL,

PHIL, PRACT, & POLIT, DOCENS,

ET

PETRUS BLOMBERG,

STIP, REG, SMOLAND,

IN AUDIT, MAJ, DIE XXIII, OCTOBR, A: NO MDCCXCIX,

H, A, M, S

A BOÆ, TYPIS FRENKELLIANIS

ДАНИЛОВА ОТЧЕТНОСТЬ

БИБЛИОГРАФИЯ

МОСКОВСКИЙ УНИВЕРСИТЕТ

ПРИКАЗЫ И ПОСЛАНИЯ КОММЕРЦИИ

СОВЕТУЮЩИХ СОЛДАТСКИХ ГЕНЕРАЛОВ

СОВЕТУЮЩИХ ГЕНЕРАЛОВ МОСКОВСКОГО ГЕНЕРАЛЬСКОГО ШТАБА



§. I.

Quum felicitatis studium homini sit congenitum, nec vires illi obtainendæ pares prorsus desiderent mortales, quispiam forte mirabitur, quî fiat, paucos tamen veram consequi felicitatem, plurimos vero, obtenta licet votorum summa, reapse experiri, se nubem pro Junone fuisse amplexos. Mirari autem dñinet experientiam consulens, docentem, hos, relictis sanæ rationis, actionum suarum sibi datæ moderatricis, dictaminibus, passionum lenocinia & ex his orta perversa judicia pertinaciter secutos, vana spe fuisse delusos; valet enim heic proverbium: *Quot capita tot sensus.* Libertatis civilis multifaria explicatio hujus rei illustre offert exemplum: alii illam, ut perniciosa & salutem publicam plane evertentem, condemnarunt: alii vero summis illam extulerunt laudibus, felicitatem sine libertate civili existimantes nullam præsumendam, nedum impetrandam. Quæ sententiarum divortia dirimere fines terminosque nobis nunc constitutos transgreditur; observare tamen juvabit, libertatem hanc, vero suo sensu sumtam, cum legibus civilibus & imperio legitimo optime non solum consi-

A

ste-

stare, sed etiam has illi maxime inservire. (a) Quin leges civiles in genere, dum sapienter sunt latæ, communem civium salutem præparent ac stabiliant, nemo sanus dubitare potest, secum reputans, sine his legibus quemque fortiorē, suarum rerum nimis studiosum, in aliorum bona invasurum, vel saltim cum aliorum dispendio commoda sibi utilia quæsiturum. Vanitati hominum tribuenda est illa, quam sibi arrogant præminentia; qua sit, ut opulentiores deliciarum non minus, quam rerum pretiosarum varia genera sibi comparent non curantes, bona civitatis sensim ita exauriri. (b) Huic malo sanando *Leges*, quæ diei solent *Suntuariae* imprimis inserviunt, quippe impedientes, ne interna civium turbetur opulentia. Quæ de harum legum necessitate in sequentibus afferre statuerimus, mihi B. L. judicio submittimus, etiamsi exilis Minerva ad ungvem omnia, quæ hoc spectant argumentum, refecare & explicare non valeat.

§. II.

Ante vero quam materiam aggredimur propositam, a re alienum forsitan haud erit, observaciones quasdam præmittere luxus in salutem publicam in-

a) Vid. *De l'Esprit des Lois par MONTESQUIEU Liv. XXVI Chap. XV.*

b) Vid. *Libr. cit. Liv. VII. Chap. I.*

influxum ostensuras. Quis ignorat, homines omni
ævo luxui pro diverso temporum genio indulsisse;
divitiisque gaudentes eisdem in suam delectationem,
utilitatem & commodum esse usos, adeoque luxum
in suam admisisse domum. Res in orbe hoc terra-
queo occurrentes qui vel parum consideraverit, fa-
cile intelliget, præter largam earum copiam, quæ
necessitatibus nostris sufficient, alias juxta existere,
voluptatem nobis parientes. Sapientiae Summi Nu-
minis congruum nequaquam videtur, tanta & tam
multa in naturæ sinu recondita dona creasse, si
nulli usui essent, neque rem animo a præjudiciis
libero rite perpendentes metuamus sobrium eorum
usum, in nostram delectationem adhibitum, reipu-
blicæ nocitrum, quin potius in confessio est, in-
dustriam civium ita ali, opulentiam confirmari &
salutem promoveri communem. (c) Quum vero
instituta quævis humana abusui magis minusve pa-
teant, fieri potest, ut desideriis nostris nimium in-
dulgeamus, nullo habito respectu vel opum tenui-
tatis vel valetudinis conservationis; quo in casu lu-
xus longe aliam induit faciem, opulentiam immi-
nuens publicam & privatam, moresque bonos pes-

A 2

fi-

(c) Vid. *Excellenthimi Herois & regni Senatoris Sc. D:nt*
A. J. HÖPKENS *Tal om Yppigbets nyta, hållit för*
Kongl. Sv. Vet. Academ; år 1740.

simum in modum corrumpens. (d) Homo immodico cibi vel potus apparatu deditus, aut qui quovis impendio res, pro raris & elegantibus habitas, inse vero nullius fere pretii, sibi comparat, non ex ratione, sed ex animi agit levitate, adeoque in prosperitatem incurrit culpam. Dum igitur non omne patrocinium luxui denegavimus, facili intelligitur negotio, illam luxus speciem jure admitti & suo modo commendari posse, qua cives mutuis sibi invicem succurrant operibus; qua industria magnos in natura repositos thesauros effodit & usui aliorum offert; & qua ditiores pauperibus admininicula sustentationis suæ comparandi ansam præbent. Sed quum fiat, ut non omnia ferat omnis terra, commercia sunt instituta, quibus non singuli tantum homines, sed integræ quoque nationes, quæ sibi superflua, vel saltem minus sunt necessaria aliis vendunt, vel cum aliis rebus sibi utilibus permuntant. Quamdiu igitur commercia ad eum agitantur tenorem, ut merces, tam quæ inferuntur, quam quæ exportantur, valoris sunt non multum disparis, commoda utrinque librantur. Nimia vero exoticarum copia deliciarum luxuriam civitati perniciosa introduceit, quam nisi leges sumtuariæ restringerent, cito citius cum opulentia civili actum esset & conclamatum.

§. III.

d) Confr. Libell cui titulus: Fritt och Offenteligt omdöme öfver den nysa gifna Kongl. Förordningen emot Yppighet af E. N. - Stockb. 1794.

§. III.

Quod ad naturam legum sumtuariarum attinet, Celeberr. Puffendorff eas definit (e) per leges civiles, quæ modum statuunt sumtibus extra necessitatem positis. Historia teste leges sumtuarias ubivis fere antiquioribus etjam temporibus propositas vel latae fuisse novimus. Luxuriam & sumtuositatem civium reprimere pro scopo semper habuerunt Principes; de modo autem sumtibus statuendo, diversæ existiterunt sententiæ; etjam admodum variæ pœnæ his adjectæ legibus. Sunt enim non pauci plane negantes, ingentes quibus faciendis opulentii cives adseverati sunt sumtus legibus cohiberi posse: proindeque arbitrantes, fatius esse, nihil hec tentare, quam irriti conatus ludibrium subire. Memoratu dignæ sunt leges sumtuariae Zaleuci, quarum mentionem facit Diodorus Siculus in Libr. XII Cap. 21. Titus quoque Livius refert Leges Oppiam, Fanniam & Lyciniam apud Romanos latas, ut luxuriam coercerent. Digna est, quæ legatur Tiberii epistola ad Senatum Romanum de difficultate leges sumtuarias fanciendi. (f) Diversam earum in diversis locis formam & naturam silentio præterimus. In patria nostra pro diversa temporum ratione variæ obtinuerunt leges sumtuariae.

A 3

Rex

(e) Vid. Libr. Ejus de Jure Nat. & Gentium.

(f) Vid. Taciti Annal. Libr. III.

Rex MAGNUS cognomine Smek primus quidem efficaces huic negotio legislatorio adjecit manus. (g) Longum foret, omnem legum harum formam apud nos mutatam describere; at vero naturam semper unam eandemque conservarunt, felicet ut cives ad frugalitatem & parsimoniam ducerentur, pretiosas merces exoticas prohibendo, ne inferrentur, vel communii usui adhiberentur, quod de legibus sumptuariis in genere dictum sufficiat. In civitatibus igitur bene constitutis, praecipue si inopia rerum, in primis pecuniarum laborant, summae necessitatis has esse leges patet, sumtus videlicet civium nimios restringentes. Illustris quidem, quem supra nominavimus MONTESQUIEU (h) pro diversa cuiusque status regiminis forma ac civium opulentia leges sumptuarias esse fanciendas statuit; quam vero sententiam multis argumentis probatam ingeniosam quidem fatemur; attamen quum in aprico sit, vitam.

g) Vid. *Tal om den omsorg våra Förfäder anvåndt til öfverflöds afskaffande af Grefve H. A. GYLLENborg.*

b) Verba ipsius ita audiunt: *Un état peut faire des lois somptuaires dans l'objet d'une frugalité absolue: c'est l'esprit des lois somptuaires des républiques; & seqq. — denique hæc habet: En général, plus un état est pauvre, plus il est ruiné par son luxe relatif; & plus par conséquent il lui faut des lois somptuaires relatives. Plus un état est riche, plus son luxe relatif l'enrichit; & il faut bien se garder d'y faire des lois somptuaires relatives.* Vid. de l'*Esprit des Lois*; *Liv. VII, Chap. V,*

tam sobriam & frugalem omnibus prodesse, Principes quovis modo luxuriam, ubicunque se insinuaverit, legibus proscripterunt. Ast vero etjam heic observari oportet, leges sumtuarias alteri civitati majorem, quam alteri afferre usum pro diversa institutorum civitatis ratione, & inaequali civium numero atque opulentia.

§. IV.

Quam invenimus naturæ oeconomiam, scilicet quod nihil adeo sit noxium vel molestum, ut idem aliqua ex parte non valeat & profit, ejus analogon in humanis quoque reperimus institutis, adeo ut in ipsis legibus incommoda apparentia veris compensentur commodis; id quod legibus quoque sumtuariis applicari potest. Queruntur quidem nonnulli, suo nimis intenti lucro, se his legibus ad incitatas redigi; Inqua autem est istorum hominum querela, cum dispendio totius reipublicæ lucrum acquirere cupientium: diligent & laboribus adsvento homini nulla deerit occasio, pluribus aliis modis sine felicitatis publicæ & privatæ collisione non solum sustentationem, sed etjam opulentiam merendi. Quænam civitatis evaderet conditio, si alii divitiis & deliciis abundant, maxima civium parte inopia & miseriis obruta? neque illi voluptatum barathro immersi, neque hi miserrimæ paupertatis onere exhausti, reipublicæ, necessitate premente, succurrere pos-

possent. Privatum igitur commodum publico in veram civium salutem semper subordinetur necesse est. Videor tamen mihi videre, multis me billem movisse, dum his argumentis sua quævis in suam utilitatem & jueunditatem consumendi licentiam eis denegem. Rem vero æqua perpendentes lance animadvertisimus, nullam neque veram utilitatem neque voluptatem in conviviorum nimio splendore, vel in formis vestium sæpe mutatis, vel in quo cunque nitido apparatu consistere, quin potius tædium & nauseam cito excitabit ejusmodi momentanea voluptas, opes multa tam nostra quam majorum opera congestas sensim auferens, hominemque infra brutorum sortem detrudens. Hinc tamen non sequitur, commodum privatum publico semper oppositum esse, æque enim hoc absurdum; singulorum opulentia & industria totius civitatis salutem confirmat, dum conjunctis viribus omnia membra mutuam communibus commodis navant operam.

§. V.

Verbo etiam monendum putamus, sanctitatem juris dominii per leges sumtuarias nequaquam tolli; dum enim vel nimios sumtus prohibent, vel commercia cum exteris suæ civitati noxia certis circumscribunt limitibus, jus dominii nullo modo attingunt. Dominium quidem est jus, quo aliquid ita ad nos pertinet, ut idem pro lubitu, ne tamen legi.

o

gibus adversum civilibus quid fiat, disponere possumus; at vero dum in civitates coiverunt homines, hocce jus eis illibatum non mansit, sed in partem ejus ita venit summus Imperans, pro felicitate communis vigilias agens & instar patris pro salute liberorum suorum excubantis, ut nemo dominium suum aliter exerceat, quam salus reipublicæ, quæ summa est lex, admittat. Quamvis autem leges sumtuariæ in coercendis nimis civium sumtibus occupentur, neminem tamen in possessione rerum suarum aut in earum legitima dispositione impediunt, quin potius bona civium contra quorum demum cunque lucrandi studium defendunt, adeoque jus dominii sanctum sartumque sustinent. Non potest ille injuriæ accusari, qui exempli gratia infantem cultri usu prohibet, dum videat hunc ignarum periculi, & sibi & aliis inde imminentis, nocere: nescio autem, quo alias modo melius infanti consulat, quam instrumentum noxiū ab illo eripiendo nec reddendo, donec in usum suum illud convertere posit. Pari ratione quum homines multi, licet adulti, saepe insciī adeo sint, ut verām felicitatem perverso ordine quærant, ægre non ferant, quod per leges, quæ communem respiciunt salutem, ad bonam frugem quasi teneantur. Quæ quidem, pro nostro rerum captu, sanctitatem juris dominii per leges sumtuarias non tolli probantia sufficiunt, quamvis alia argumenta his adjicere idem ostendentia difficile non foret.

B

§. VI.

§. VI.

Necessitatem porro legum sumtuariarum, quis-
quis vel parum attenderit ad communis vitæ ra-
tionem, videbit. Neque utile neque fieri potest, ut
omne commercium cum aliis tollatur. Res est, quod
non omnes regiones æque benigno subjaceant cœlo,
non omnibus locis natura æquali modo & copia
fuas distribuerit divitias; quibus aliae abundant, earum
in aliis terris maxima existit inopia, & sic vice
versa. Omnia vero in hominum usum & commo-
dum creata sibi invicem mutuam præstant operam.
Politioribus introductis moribus, longinquis deliciis
frui incepimus, quæ cupido successu temporis ma-
gis magisque increvit; quare commercia quascun-
que inter nationes indies etiam promota fuerunt.
Necessitatibus ut solum satisfaciant, nunc non con-
tentii, maximi sæpe impenduntur sumptus in res, vo-
luptatem & ambitionem hominum titillantes, vani-
tati præcipue & superbiæ ditorum. Hinc factum
est, ut quantum altera civitas perderet, tantum al-
tera, magis industria, quæstum certum faceret.
Principi igitur, ne cum ditrimento suo commercia
cum exteris exerceant cives, imprimis videndum
est; quod ut facere poscit, quænam in universum
sit circulationis opum, mercium ac pecuniarum ra-
tio prospiciet, an illa rite administretur, vel eum in
modum, ut jacturam faciat sua civitas, quod obti-
net, si merces vel nullius fere in se pretii vel qui-
bus

bus pares in proprio inveniuntur solo, magnis im-
pensis & numerata pecunia ab exteris comparan-
tur. Pretium enim mercium ex necessitate & uti-
litate earum aestimandum est, adeo ut quibus care-
re possint cives mercibus minus addicatur pretii,
quam necessariis. Ex quibus facile erit intellectu,
commercia civitatis jacturam facere, non solum ubi
quæ producat mercibus introductis solvendis non
sufficient, sed etiam ubi res majori & diuturniori
usui inservientes, quam quæ aliunde emuntur, ex-
portentur (i). Quibus fit, ut opes civium sensim
exhauriantur & exteri cum civium dispendio dite-
scant. Nisi huic malo Imperans obicem tempesti-
ve ponat, regnum vacillans cito delabitur, nec ci-
ves ad incitas redacti patriæ in suis angustiis suc-
currere umquam valebunt; quod ex multorum tem-
porum experientia non minus quam ex Historia
confirmatum videmus,

§. VII.

Vidimus, quantum ad perniciem civitatis aver-
tendam leges conferant sumptuariæ, dispiciamus por-
ro, quantum ex eis salus civitatis publica incre-
menti capiat. Si mercium, ad luxum solummodo
& ostentationem spectantium, invectio prohibeatur,

B 2

ru-

(i) Confr. supra cit: *Fritt omdöme öfver den Kongl. För-
ordn. emot yppighet, pag. 29 & 30.*

rudis autem materia, ex qua illæ parantur, in patrio inveniatur solo, industria civium his frui cupientium ad similes fabricandas excitetur necesse est, vel si talis non reperiatur materies, succedaneum quoddam adhibebunt; qua ratione opes & divitiae, quæ alias ad exterios transferrentur, in patria circulantes remanent, atque tam publicam quam privatam opulentiam increcentem efficiunt, dum opifices indigeni, quovis incitati luero, molestos & sumtuosos non abhorreant labores, quibus aliquando exteriarum gentium divitias forsitan in suas transferre queant crumenas. Omni tempore homini hominis auxilio opus est, & quo major hominum cœtus sub uno eodemque imperio vivat, eo magis ex auxilio mutuo usum capere potest quisque. Si itaque contigerit, ut vanitas quorundam eo procescerit, ut desideriis suis quocunque modo indulgeant, sapientis Imperantis est luxus studium ita moderari, ut in publicam utilitatem quantum fieri posfit, vergat. Quod certius non obtinetur, quam fabricas indigenas erigendo, ubi rudes materiæ politiorem induant formam, & multis opificibus fustentationem vel opulentiam diligentia & industria eorum hisce modis comparent. (h) Quantum vero reipublicæ expediatur, cives habere frugales atque virtuti addicatos quisque noverit. Parsimonia legibus sumtuariis promota non solum opulentiam civium auget,

ut

(h) Vid, *Libr. nuperr. eit.*, pag. 32 & seqq.

ut reditus & publici & privati necessitate urgente inveniantur, sed etiam tutissimum virtutis semper est fulerum. Parsimonia tamen cum avaritia minime est confundenda, qua divitias suas, nec fibi nec aliis profuturas, magna cum cura avarus coaceratas occultat, quam commendare nemo potest, nisi qui cum ratione insaniat. Cum vero singuli cives quæ a peregrinis emuntur voluptates & comoda haud difficulter rejiciunt, legibus sumtuariis obediunt, & suam & publicam salutem insigniter corroboratam vident.

§. VIII.

Ut omnem, qui ex legibus sumtuariis redundat, usum capiant cives, necesse est, ut caveatur, ne occasionem monopolii formandis præbeant, quibus nihil fere civitati exitiosius cogitari potest. Si enim hoc frenum commerciis injicitur, languescant necesse est, & una cum libertate totius civitatis fas communis cadat. Quidam civium inumeras congerent divitias, dum plurimi, qui ad quodcumque pretium necesitates suas a certis venditoribus emerent, iniquissima laborarent inopia & pauperitate. Monopolia cujuscunq; generis, quidquid in defensionem eorum afferri queat, itidem noxia civitati sunt, dum libertatem commerciorum quasi animam restringunt & suffocant. Quod prospicienes Principes maxime solliciti fuerunt de quibusvis

mo-

monopolis abrogandis, neque umquam ansam, nova instituendi præbebunt, leges promulgando sumtuarias; quod consultius non foret, quam consilium Medici cuiusdam, ægrotantem sanare cupientis, morbum patientis in alium pejorem vertere solummodo nitentis, cui ingravescenti mederi vix ac ne vix quidem vires sufficient humanæ,

§. IX.

Aliud adhuc incommodum ex legibus sumtuariis forsitan exoriretur, nisi debita cum circumspetione ferantur. Eo igitur respectu Principi cayendum est, ne industria civium legibus hisce latis sufflaminetur. In antecedentibus luxum non omnem reipublicæ obesse observavimus, industriam quippe ci-vium alentem. Quidquid, ex proprio collectum solo, in jucunditatem & commodum vitæ verti potest legibus sumtuariis non prohiberi solet, nisi periculum fuerit, ne cives hoc utantur prætextu, in exterris mercibus, licet prohibitis, sibi comparandis & in usum suum vertendis: Quod præcipue valet, si ejusmodi rerum tanta inveniatur copia ut omnibus facile suppetat, vel accidente cultura suppetere posse. Ast vero etjam hæc regula non omni caret exceptione, ubique enim requiritur, ut saluti communi primo consulatur, privata vero huic semper postponenda. Quantum scopo civitatis conveniat, omnigena excoli artificia opesque e terræ gremio de-pro-

promi, tantum etjam nocitura forent ejusmodi statuta, quibus opificia in ipsis incunabulis suffocarentur; quod prolixa quum non egeat demonstratione, qua cautela in legibus ferendis sumtuariis opus sit, facile intelligitur.

§. X.

Antequam levissimis hisce observationibus finem imponimus manumque de tabula movemus, sagacitatem clementiam justitiamque mitissimi Imperii in Patria nostra grata agnoscimus mente, quod Regi clementissimo nuperrime placuerit sumtuarias nobis praescribere leges, quibus uberrima in nos redundabunt commoda, dum luxuriam crescentem & cum illa morum corruptionem justa severitate colibent. Nihil igitur nobis prius nihil posterius curae cordique erit, quam clementissimam Regis curam pro salute nostra venerari & omni nisu sublevare. Quam necessariæ in genere sint leges sumtuariae ostendere conati sumus; vix tamen ullibi majoris sunt necessitatis quam apud nos, quare eo ditiorem etiam ferent fructum. Nostra non solum aetas, sed etjam seri posteri summam inde laetandi & sibi gratulandi materiam desument. Res ipsa loquitur nec jejunis nostris indiget laudibus.
